

*hic narratur quomodo rex
fecit statuere ymaginem
ad similitudinem filij de
auro & lapidibus & om-
nes adorauerunt & hon-
orauerunt eum tanquam
deum & dicebant quod
erat deus ex hoc habetur
quod antiquitus facilliter
deificabant mortales sicut
ydolatri faciebant ante
aduentum xristi set natus
xristus finiuit deificatio
deorum & /
iste primus fuit pro quo
ydola descenderunt /
/isti adorant ydola de lon-
ginquis partibus sicut
xristiani uadunt ad sanc-
tum Jacobum
/saraceni dicunt quod est
adam set sacra scriptura
testatur quod sit in alia
parte mundi & c*

Et cum iste filius regis decessit/ portatus fuit ad regem patrem suum.
qui cum uidisset mortuum quem plus se dillegebat. magnum habuit dolorem. &
fecit statuere quamdam ymaginem ad similitudinem sui/ totam de auro & lapidibus
preciosis. Et omnes de patria honorauerunt & adorauerunt ipsum tanquam deum.
& dicebant quod erat deus. & quod mortuus erat octuaginta quatuor uicibus. Nam
dicebant quod quando homo in prima uice moritur efficitur bos. & postmodum
iterum moritur equusque efficitur. & ita dicunt quod octuaginta quatuor uicibus
moritur. & semper efficitur aliquod animal uel canis uel aliquid aliud set in
octuagesima quarta uice dicunt quod mortuus est & effectus est deus. Et istum
habent ydola adorantes pro meliori deo & pro maiori aliquo aliorum. Et sic iste
primus fuit pro quo ydola descenderunt. Et hoc/ fuit in insula Seylan in Jndya. 86r^o
Intellexistis ergo qualiter ydola descenderunt & illi qui adorant ydola illuc ueniunt
de multum longinquis partibus propter deuotionem quemadmodum xpistiani
uadunt ad sanctum Jacobum Isti quidem qui adorant ydola dicunt quod illud
est sepulcrum filij illius regis de quo dictum quod est super istum montem. Et
quod capilli dentes. & parascis que omnia ibi sunt fuerunt filij regis qui nomina-
batur Sogomoni burchan quod est dicere Sogomoni sanctus Et saraceni qui illuc
propter deuotionem ueniunt dicunt quod hoc est sepulcrum ade nostri primi
patris & quod capilli. dentes. & parascis fuerunt Ade Intellexistis ergo qualiter
adorantes ydola dicunt quod est iste filius regis qui fuit primus deus eorum. &
saraceni dicunt quod est adam noster primus pater. set deus nouit quis est &
quis fuit. quia nos non credimus quod in illo loco sit adam quoniam sancta
scriptura testatur quod sit in alia parte mundi Accidit quod magnus can audiuit
qualiter super illum montem erat monumentum ade & quod ibi erant dentes &
capilli ipsius & parascis in qua comedebat. dixit ergo quod de necesse oportebat
ut haberet dentes/ parascidem & capillos. & misit illuc nuncios suos qui cum magna
societate arripuerunt iter. | & tantum iuerunt per terram & aquam quod peruenerunt 86v^o
ad insulam seylan & iuerunt ad regem. & tantum procurauerunt quod habuerunt
dentes maxillares qui multum erant magni & grossi. habuerunt & capillos &
parascidem. parascis quidem erat de quodam profilio uiridi ualde pulcro. Et
cum nuntij magni can res istas habuissent. arripuerunt iter. Et reuersi fuerunt ad
eorum dominum. Et cum fuerunt prope magnam ciuitatem cambalu. notifi-
cauerunt domino eorum aduentum. & [quod] portabant id propter quod iuerant.
Magnus dominus tunc precepit quod omnes gentes tam religiose quam seculares
irent obuam illis reliquijs quas credebant fore Ade Et ita omnes gentes de
cambalu iuerunt obuam reliquijs illis/ & religiosi receperunt ipsas cum magna
reuerentia. & ad magnum dominum portauerunt qui ipsas recepit cum gaudio
magno & festo. & cum reuerentia multa. Et inueniunt per eorum scripturas